



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Quomodo verbúm Dei est supra omnia Concilia. tit. 30

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

velle nobis distribuere promeritam salutem & iustificationem per ipsum. Sic iubet credere & pœnitere, Mar. 1. Sic credere & mandata seruare, Matth. 19. Et sic promissiuè & non effectiuè consequimur distributionem beneficij Christi. Et licet meritum vnicum sit Christi, attamen vnus plùs participat altero secundum gradus laborum, 1. Corinth. 3. & 15.

Postremò, hoc nunc totum ex gratia est, vt per hæc media nobis distribuatur Christi meritum. Media nō sunt effectiua, sed promissiuua: Habent tamen hæc media vltra hoc, quòd appræhendunt, retinent & in possessionem ducunt, &c. & sua præmia accidentalialia, &c.

QUOMODO VERBUM DEI

est supra omnia concilia.

TITVLVS XXX.



Rrimò sectæ, vt suam opinionē & glossam statuunt, loquuntur simplicibus, Crede verbo Dei: Hoc enim est supra omne concilium, Papam, Imperatorē, totam Ecclesiam papisticam. Si enim angelus de cœlo, inquit Paulus Galat. 1. vel alius quicumque fuerit, aliud prædicauerit, anathema sit, quā ego docui vos verbum: verbum enim Domini manet in æternum, Esai. 40. Nihil ergò sunt commenta & traditiones. Crede tu verbo Dei &c.

Secundò, hoc falsè sic proponitur, quòd concilia sint supra verbum Dei. Nam verbum Dei omnibus verbis hominum præponderat, quātumcunquè sint docti, vt Philosophi: sancti, vt prophetæ: & vitæ sanctorum clari, vt Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Nullius verbum est, supra Euangelium, Psalm. 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum. Illud omnium sententijs præminet, & Lucifer est in conscientia, donec dies aduenierit, vt Petrus secundo Petri. 1.

Hh 2 inquit.

inquit. Hoc lumen & stella est, quæ lucet nobis in hoc caliginoso sæculo. Nihil igitur æquale est verbo Dei vel supra, hoc semper manet in sua dignitate & sanctitate, &c. Præterea Christus saluator noster nouit, quanta sint ingenia hominum, & quàm infirma sit caro, Matt. 26. Ideò ordinauit, vt sit caput & potestas super terram, quæ veritatem & verbum Dei defenderet. Et per quam Deus suam tueretur veritatem, Romanor. 13. vt finis esset contentionis: & hoc est concilium, legitimè propter veritatem tuendam congregatum: Non vt supra vel contra scripturam & verbum Dei agat. Christus iubet dicere Ecclesiæ Matth. 18. Si quis peccauerit, vel errando in fide, aut malè & inordinatè viuendo &c. cuius sententiæ acquiescere iubet. Ideò enim congregantur Concilia, quatenus verus intellectus verbi Dei conseruetur, & ne per hereticis glossis fideles abducantur, sicut plerique auctoritate Sathanæ corrumpuntur, vt conqueritur Paulus 2. Corinth. 11. Genes. tertio. Ideò si Ecclesiæ debet denunciari error vel peccatum, voluit congregationem fieri, quia dicit, Dic Ecclesiæ.

Insuper hæc potestas concilij est suprema potestas quam dedit Christus super terram, quia super Papam & Imperatorem, vt inquit Ioannes de Gerson part. 1. in sermone pro Viagio regis Romanorum. Concilium, inquit, habet potestatem à Christo immediatè cui quilibet cuiuscunque etiam dignitatis, etiã si Papa existat & Imperator, obedire tenetur in his que pertinent ad fidem, & extirpationem schismatis, & reformationem Ecclesiæ Dei in capite & in mēbris. Conscribenda mihi videtur, inquit Gerson, in omnibus eminentioribus locis, vel insculpenda per omnes Ecclesias hæc saluberrima sententia, Quia concilium est super Papam. Et hoc primò contra auctores illos, qui dicunt, Papam non esse subiectum generali concilio, neque iudicari posse per ipsum, Item quod

quòd nemo possit illi dicere. Cur ita facis? quum solutus sit à legibus, & sit supra ius & cetera. Et sic sentire de Papa, scribit esse perniciosissimum Cardinalis Cameracensis.

Subindè possit fieri, vt Papa & Imperator sint hæretici, sicut tempore Arrii, Papa Liberius, & Casar Constantius fuerunt Arriani & heretici, attamen Ecclesia audiuit Nicenum concilium, & cetera. Ideò potestas concilij est suprema potestas in rebus fidei, & hanc potestatem cõtulit Christus ideò super terram, vt finis contentionum & iudex esset in Ecclesia, quatenus pax & vnitas conseruetur.

Tertio, sic Apostoli, qui tunc erant pleni spiritu sancto, celebrârunt concilia: primò, propter dissensionem de intellectu scripturæ & re fidei, quãdò contentio de legalibus cum Euangelio fuit permota, vt Act. 15. ibi concludunt. Et Petrus, vt caput, loquitur sententiam & denunciât conclusionem. Paulus pertransit ciuitates, & tradidit illis conclusa & decreta, ab Apostolis & senioribus, qui erant Hierosolymis, Act. 16. Et hanc formam hodiè seruat Ecclesia in celebrandis concilijs, temporibus heresum, quatenus populus certificetur de veritate. Nam ex quo vtraque pars prætendit scripturam, habet Ecclesia id est, Concilium, potestatem probandi Spiritus primæ Ioann. quarto, quia Antichristus iam venit in mundum. Secundò, celebrârunt concilium Apostoli, Act. sexto, quãdò murmur fuit excitatum inter Iudæos & gentes de ministerio viduarum, vbi congregata multitudine deputârunt septem viros & cetera. Hoc concilium celebrârunt ideò, vt esset ordo & honestas in Ecclesia illa, id est, inter fideles. Id quod etiam iubet Paulus, 1. Corinthior. 14. vt omnia ordine & honestè in Ecclesia fiant & cetera. Sic vniformitatem cæremoniarum & externi cultus ordinârunt concilia. Nam vniformitas, est causa pacis: disformitas dis-

H h 3 sensionis.

ensionis. Et quoniam ut dicit Lucas Acto. 6. Sermo iste placuit omni multitudini, ideò & hodiè placere debet cultus & cęremoniæ, ab yniuersali Ecclesia ordinata & cęt. non sectariæ. Sic etiam Actor. 1. eligunt in concilio Matthiam Apostolum & cęt. Sic hodiè, quoties opus est celebrare concilium. Sic Ecclesia (id est, concilium) non est supra verbum Dei, ut illud destruat, mutet, aut contrarium statuatur, sed ut certificet in contentione cum schismaticis, quę pars habet veritatem, qua certò conscientia pacificetur, ut non dubitet de veritate, &c.

Quartò, qui non vult cedere aut credere concilio, hic nunquàm certus erit in conscientia. Qui tollit concilia, hic yniuersum totius Ecclesię ius & robur tollit, & animos Christianorũ prorsus incertos reddit, cui parti potissimũ credat. Nam si generali concilio securè credi nõ potest, cuius authoritati est credendum? inquit B. martyr Roffensis in lib. Assertionum, artic. 29. si concilio non est credendum, inquit, nemo sciet, quis catholicus & quis hereticus, quando vterque preterdit scripturam. Si igitur Pontificem, Cęsarem, concilia recusamus, quid iam reliquum est, nisi ut is preualeat, qui loquacior fuerit & contentiosior, atque temerarius magis, quem que non pudet, mędacia pro verissimis asserere, qui quocunque velit, torquetur scripturas, &c.

At inquit: Scriptura, verbum Dei me certificat, non indigeo concilio. Respondeo: Cur non certificat Zuinglianos scriptura, quam Luterus de sacramento pro se habet, aut ediuersò? & cur non certificat & consulescere facit Anabaptistarum scriptura Zuinglianos & Luteranos? & cur non scriptura Osiandri Luteranos de veritate certificat? & ut in summa dicam, omnes iam Osiandrini & Luterani eundem Luterum habent, quilibet pro sua opinione al. legat illius ut suam sententiam, Sic Osiander partem
suam

suam ex Lutero probat, & Zuingliani ex scriptis eiusdem Luteri probant opinionem, & assērent Luterum cum illorum parte sensisse, cum tamen sint extremi inimici. Cur non hīc certificat scriptura dissectas sectas? cur mutuo sic pugnant, si scriptura te solum certificat, id est, sine interpretatione catholica, quam concilium donat &c.

Apostolus dicit 1. ad Timoth. tertio, quod Ecclesia est columna & basis veritatis, id est, propter assistentiam spiritus sancti. Non enim est mutabilis & inconstans, secum pugnans ut sectæ, nam si vis credere Lutero de Eucharistia, id Zuinglius prohibet: & è diuerso omnes dicunt, Audi verbum Dei, quod ego habeo: & alter dicit, Audi verbum Dei quod ego habeo, &c. Sicut dicit Tertull. Cum venero ad Marcionem, dicit: Scrutamini scripturas. Si ad Apellem, dicit: Scrutamini scripturas, Si ad Valentinum, dicit: Scrutamini scripturas. Ioann. quinto. omnes dicunt, audiendum esse verbum Dei, sed ut ipsi glossant: attamen ipsi met dissentiant de verbo Dei, & sunt de numero illorum, de quibus dicit Christus Matt. 24. Ecce hic est Christus, ecce illic &c. Ideo pestilentiſſimus error est, non debere audiri concilium. Nam sic nemo certus est de vero Euangelio & sacramentis, an habeat ea nec ne, an vita sua placeat &c. Hinc ordinauit Deus hanc potestatem, ut sit pax & conscientie certitudo. Nunquam eris quietus & certus de fide & sacramentis, nisi te concilium & Ecclesia certificauerit, quod hæc glossa sit veritas &c. semper manet scrupulus, an sectarius te verè absoluerit & docuerit, an sacramenta efficaciter contulerit.

Ecclesia siue concilium maximè in hoc laborat, ne ex Euangelio Christi fiat Euangelium humanum, id est, ne heretici scripturam ad suum errorem defendendum adulterent, id quod fecere ab initio omnes heretici, suis proprijs excogitatis glossematibus &c.

Hb 4

An